


05

A

883





8 489

DE

NON-PRÆSCRI-
BENDO,

*Ad L. II. C. de Prescript. XXX.
vel XL. annor.*

PRÆSIDE

HENRICO COSELIO,

de Pezlinovez J. U. D. & P. P. Curia
Elect. Facult. Jurid. nec non Scabinatus
Adfessore, Patrono, Præceptore.

D. D.

M. CASPAR ALEXANDRI,

Ad d. Jan.

28.

WITTEBERGÆ,

Apud JOBUM WILHELMUM FINCELIUM,
Ao clō lōc LIII.



VOM PERESSORI



85

05 A 883

DE NON-PRÆSCRIBENDO.

CAPUT I.

De Casu Legis.

- | | |
|---|--|
| I. Præscriptio conscientia patrona est paratitl. | III. Facti species & dubitandi ratio. |
| II. A quo & quando lata hæc lex, & quæ vera ejus lectio. parat: | IV. Solutio dubii & sexagenariæ mutatio parat. |
| | V. Decisio & legis constitutio. |

DE non-præscribendo exponere, & Nam Codicis legem, de tricennali præscriptione *patronâ generis humani, brevi illustrare commentario constitui. Ut, si post XXX. annorum patriæ bella, ea demum frequens certaminum foriq; materia est, huic me parem dum ætas ac disciplina sinunt: *nullove magis inutili aut desveto, quam rebus, quæ in presenti ævo in usu vertuntur, scripturam impleam.* Nisi enim quod facimus utile est, inanis est gloria. Nec quisquam in negotio nihili terat ætatem, aut sua moretur tempora, quem ad majora paulo virtutis indoles vocet.

S. 3. de Juris-
doc. rat.
L. 2. S. II. C.
de j. s. enual.

II. Lex ita habet:

* *IMPP. VALENS ET VALENTINIA. A. A.
AD VOLUSIANUM. P. P.*

Male agitur cum Dominis prædiorum, si tanta precario possidentibus prærogativa defertur, ut eos, post XL. Annorum spacia qualibet ratione decursa, inquietare non liceat: cum Lex Constantiniana jubeat ab his possessoribus initium non requiri, qui sibi potius quam alteri possederunt. Eos autem possessores non convenit appellari, qui ita tenent, ut ob hoc ipsum solitam debeant præstare mercedem. Nemo igitur, qui ad possessionem conductor accedit, diu alienas res tenendo, * jus sibi proprietatis usurpet; Ne cogantur Domini aut amittere quæ locaverunt, aut conductores utiles sibi

fortassis excludere, aut annis omnibus super Dominio suo publice protestari. * Dat. VIII. Cal. Aug. Valenti & Valent. AA. Coss.

L. 4. C. de
presc. XXX.

Arg. l. 3. C. de
long. Temp.
pres. qv.e pro
lib.

III. Exierat jam quadragesimus annus, ex quo precarios * Dracontii agros, lege locationis * Mucatraulius coluerat; multisq; adeo erudiverat curis, magna potiundi spe, quod per silentium ad hæc tempora venisset; ratus, *sopitam procul dubio XL. annorum curriculum*, fundi juxta atq; mercedis actionem, quam nemo hæctenus moverat. Itaq; sic ille præcipiti dolore subduerat rationem; quos uno & perpetuo tenore juris semper usurpato nunquam intermisso tenuisset agros, suos esse * divi Constantini lege; quæ & iniquis rerum possessoribus, *sola temporis longinquitate*, domini jura firmasset.

L. 24. D. de
Legib.

† De Justin.
Cod. confirm.

L. 3. §. 1. D. de
acqvir. poss.

L. 60. §. 1. D.
Locati.

L. 9. & 18. D.
de acqvir. poss.

L. 39. D. Locat.

IV. Sed incivile erat agresti ac pleno ruris animo, *tota lege non perspectâ, una aliqua particula ejus proposita judicasse*. Nam quæ * de sexagenaria præscriptione, quam ad quadragenariam interpretatur Justinianus † solenni sibi fiducia, sanxerat Constantinus Imperator, nisi fallor his dederat, *qui nacti possessionem, corpore & animo, sibi mente & cogitatione possideant*; doctissimus artes Romanas & veterum Leges, *colonum domino possidere: sine possessione autem usucapionem contingere non posse; nec quenquam possidere, qui alieno nomine in possessione sit*.

V. Quare falso conductos sibi Dracontii agros Mucatraulio, nihil dubitandum ulterius existimantes imperatores, quia *non soleat locatio dominium mutare*, secundum Dracontium litem dabant, adjecta in hanc sententiam lege: Ne cui locatori locatio fraudi sit, ne frugi conductore carere, aut ex jure manum confertum vocare quotannis necesse sit, æterna locatæ rei autoritas esto; Nemo conductor alienas res longissimó quamlibet usu capito.

PARATITLA AD CAPUT. I.

s. I.

Patronq. Cassiodorus Lib. V. Variar. XXXVII. *Tricennalis autem humano generi patrona præscriptio, eò quod cunctis vobis jure servabitur, nec conventionalia vos irrationabiliter præcipimus sustinere dispendia*. Novel. Theodos. & Valentin. VIII. *Lex domini patris clementiæ meæ Theodosii perennis Augusti, qua virtutum suarum*

suarum morem secutus humano generi profunda quiete prospexit.
Plura in eam rem erudita collegit Jo. Savaro Claromont. ad Si-
don. Apollin. Lib. VIII. Ep. VI. Et ex illo Hug. Grot. Flor. Sparf.
h. t. Sed & conscientiae patrona praescriptio est. *Jure enim possi-
det qui autore patore possidet*, l. xi. D. de acquir. poss. Sotus. Lib.
IV. de Instit. q. l. art. III. dist. XXVII. Jo. Medina C. *de Restitut.*
q. XVII. §. *aliter tamen*. Covarruvias in *Regula Possessor* part. II.
§. VII. Corduba Lib. III. q. VIII. Frater à Veracuce in *Speculo*
Conjugior. part. III. art. XVIII. Falsum enim est, quod ait Ba-
chovius ad Treutl. vol. II. disp. XXII. Th. VI. lit. C. *Forum con-
scientiae legibus politicis non gubernari, neque legem merè positivam*
praestare aliquem tutum in foro conscientiae posse. Imo vero in rebus
civilibus indifferentibus, forum conscientiae Legibus politicis
gubernatur; quandoquidem & propter conscientiam parere magi-
stratui nos voluit Apostolus Rom. XIII. v. v. Gabriel Vazquez
Tom. I. in prim. Secund. S. Thomae q. XIX. art. VI. disp. LXVI. cap.
VII. n. XXXVI. *Nam idem, inquit, servandum est in foro interiori*
*& exteriori, quando forum exterius non fundatur in falsa praesum-
tione, maximè verò in materia Justitiae. Judex enim judicans in*
foro exteriori, judicare debet id quod verè justum & rectum, & quod
suum est unicuique tribuere.

Imp. Valens & Valentinianus. Reverà hanc legem Valens, ad-
scripto saltem Valentiniani nomine, pertulit. Est enim hic Va-
lentinianus junior, puer tum nondum quinquennis, Valenti-
niani senioris ex Justina filius. Quod vel inde constare potest,
quia priori loco Valentis nomen positum est; quod secus habet
in Valentiniano seniore; cujus nomen, dum imperaret cum Va-
lente isthoc fratre, ubique in Legibus nostris & Fastis omnibus,
& Cassiodori chronico primo scriptum loco observamus. Eam
illi ætatis & initi imperii rationem habebant, ut qui senior aut
diutius praefuisset, priori loco poneretur. Nicet. Choniat. An-
nal. *Postridiè cum in magna Ecclesia Imp. proclamarentur, ordine*
*mutato Andronici nomen priore, Alexii posteriore loco est pronun-
ciatum: ob causam nimirum honestam & speciosam, non decere in-
fantem immaturæ ætatis, levibus malis celebrari ante Andronicum,*
virum canum. Vocatus Valentinianus hic *quadrimum puer, ut*

§. II.

ait Ammian. Marcellin. Lib. xxx. sub fin. *in imperium cooptandus, sextoq; die post parentis obitum imperator legitime declaratus est in castris.* Obierat autem parens, teste Socrate Lib. IV. Hist. Ecclesiast. c. xxvi. xv. Calend. Decemb. Adeoq; ix. [non x. quod male legitur apud Panvinium] Calend. Decemb. Valentinianus hic Augustus solenni more nuncupatus est, *Ao. Urbis c1o cxxvii. ex mente Onuphrii Panvini Lib. II. Fastor. Ao. Christi cccLxxv. Carol. Sigon. Chronolog. Indic. Imp. Orient. & Occid. & Joseph. Scaliger. de Emendatione Tempor. Lib. V. Zonaras Tom. III. Annal. Junio rem etiam Valentinianum imperatorem salutavit exercitus quadrimum adhuc puerum.* Caussam addit Zosimus Lib. IV. Hist. *Valente & Gratiano in locis remotioribus degentibus, ne Transistriani barbari, rebus principe destitutis, irruerent, arcessitum minorem Valentiniani filium in regiam purpura vestitum producunt, cum vix quintum aetatis annum ageret.* Mos autem erat Imp. Edictis suis nomina quoq; absentium praescribere. Cedren. Comp. Hist. *Valentinianus concilium in Illyrico coegit, in eoq; fidem Nicenam confirmavit. Edictum quoq; misit; socios sibi eo in Edicto adscribens Valentem fratrem & Gratianum filium; quorum tamen neuter concilio intererat.*

Jus sibi proprietatis usurpet. Mendose & nullo sensu minor. Godofred. Editio; *his sibi proprietarie usurpet.*

Dat. VIII. Cal. Aug. Valenti & Valentin. COSS. Legem hanc Valente quintum & Valentiniano primum consulibus *Ao. Urbis c1o cxxviii. Ao. Christi cccLxxvi.* latam esse, ex ipso consulum & adjecti diei tempore patet, si ex Scaligeri & Sigonii Computo aestimes. Nam Imperator Valens duos tantum cum Valentiniano consulatus gessit Vtum & Vitum. Testes sunt Fasti Siculi, Fasti Capitolini, Socrat. Lib. IV. Hist. Eccles. c. xxviii. & xxxi. Casiodor. in Chronic. Sextum hunc consulatum non esse, probat Socrates l. c. c. xxxi. *Imperator Valens ad sextum Consulatum, Valentiniani autem secundum, III. Cal. Jun. adversum barbaros profectus, III. Idus Augusti ad Adrianopolin urbem Thraciae in confiniis Macedoniae moritur.* VIIIo. igitur Cal. Aug. quo haec data lex est, ipse Valens quam maximè praelio intentus & ab Urbe remotus, de Locationibus & Agrorum colonis, quos lex nostra complectitur,

tur, cogitandi procul dubio spacium non habuit. Itaq; neces-
sum est consulatum hunc primum esse Valentiniani, quem Ao.
Urbis cl. cxxviii. ipsis Calend. Jan. ceperat, proximis Cal. De-
cemb. imperator nuncupatus. Solebant autem facti Imperato-
res, non expectata consulari ætate, cum imperio simul & con-
sulatum auspicari. Plin. Panegyric. *consulatum novi imp. desti-
natum aliis in se transferebant.* Novel. Majoriani III. *Dicatis
quodq; Jano Calendis suscepti feliciter consulatus ereximus fasces, ut
presens annus nascentis imperii nostri incrementa suscipiens, nostro
etiam nomine signaretur.* Pacatis igitur tum eo anno rebus, quod
ex Socrate l. c. c. xxxviii. discimus, prima, ex more, agrorum me-
rito cura fuit; eò maximè, quòd *Possessoribus*, teste Aurelio Vi-
ctore, *Valens consultor bonus erat: quod idem & nostræ legi
convenit.*

Exierat jam. Baldus hanc legis nostræ æconomiam tradit. Pri-
mo, inquit, ponit dictum (*malè agitur*) secundo respondet oppositi-
oni cuidam; tertio probat dictum per rationem vivam; quarto con-
cludit quinto ponit novam rationem. *Secunda ibi, cum lex; tertia
ibi, Eos. quarta ibi, nemo igitur. quinta ibi, ne cogantur.*

S. III.

Dracontii Fictum nomen ex l. 2. C. de Fund. patrimon.

Mucatraulius. Thabor. de Contractu Socidæ. c. i. n. x. *Rustici,*
inquit, nomen ex l. 8. C. de pact. ut *simplicitas supplicantis Rescri-
pti simplicitatem doceat.*

Divi Constantini lege. Accurs. hic. *Quam non habemus. Quam
quidam tam pravè interpretabantur, ut ex ea deferrent colonis tem-
poris prerogativam.*

Quæ de sexagenaria præscriptione. Cujac. Obs. Lib.
xviii. cap. xxvii. *Lex autem. 2. C. de præsc. XXX. vel XL.
an. fuit de præscriptione LX. ann. introducta constitutione Constani-
tini, cujus pars restat in l. ult. C. de long. Temp. præsc. quæ pro Lib.
Quod ita esse, non absurde forte conjiciam ex Eusebii Lib. ii. de
vit. Constantini, c. xxxiv. c. xxxvii. & Lib. iv. c. i. & ii. Ubi si-
mul omnium cunctatione remota, qualis & præscriptio isthæc erat,
Libertas & agri diutius possessi, uno Edicto restituuntur. Quæ lex
in cæteris causis, præterquam si agatur adversus libertatem, etiam si
injustum fuisset initium possessionis, effectum habuit; modo si quis non
aliis possedisset. At abolita omninò cum esset illa præscriptio LX. an.
& omnium*

Et omnium longissima esset XL. duntaxat annorum, constitutione Anastasii; ideò, quod Impp. Valentinianus Et Valens scripserant de præscriptione LX. an. in d. l. 2. Justinianus mutavit in XL. annos, ut hodiè legitur.

CAPUT. II. De Vocibus dubiis.

- | | | |
|---|--|--|
| <p>I. Vocum quoq; habenda ratio.</p> <p>II. Quid prædium hic Et ejus Locatio paratit.</p> <p>III. Quid precarium hic Et jus famili-</p> | | <p style="text-align: right;">aritatit paratitl.</p> <p>IV. Quotuplex possessio, hic, Et quæ Emphyteuta Et Vasalli.</p> <p>V. Quid solita merces hic, Et paratitl.</p> |
|---|--|--|

Ipsa me lex jubet, quæ de prædiis exorsi Imperatores, mox in precario possidentes conductores ve continuant, evolvere vocabula, multis nobilitata cladibus eorum, qui securi vocum, rerum quoq; fecerunt naufragium. Nam ut maxima quæq; in ambiguo sunt, dum alii quoquo modo intellecta pro veris habent; alii vera in contrarium vertunt certandi libidine; ita error & ignorantia pronis accepta auribus posteritate gliscunt. At enim nec calumniari legem, nec verba captari oportet; & quid in ipsis rerum argumētis obtineat prospicere, cōsultæ Juris Philosophiæ est.

L. 19. D. ad Exh
Procem. Instit.
§. 4.
† L. 125. D. de
Verb. Signif.
L. 211. D. ib.
L. 20. C. de A-
gricol.

II. * Prædium hic generali † nomine amplius, urbanum juxta ac rusticum complectitur. Adeo utriq; locato merces solita debetur. Sed causam Legi, *fundi*, meâ sententia, conductor dedit, cum *agro Et ædes* capturus usu; frequenti illius seculi colorum malitiâ, qui *declamare contra terræ dominos*, & alienas corripere partes nihil veriti, sola præscriptione, impia profligare cæpta statuebant. Quibus * cum plurimis iretur obviam legibus, & nostra quoq; ista obvertitur. Nam qui * in aliqua re erant, & * in quinquennia aut ultra locabant agros Romani, familiæ quoq; ut plurimum * sedes villasq; & instrumentorum ruris custodiam dabant. Itaq; non levi ego antegressæ legis & prædii vocis per se positæ conjecturâ adducor, ut prædium istuc de quo quæsitum Locatori * fundum interpreter; ipsis Imperatoribus ita loqui passim amantibus.

† L. 1. §. 1. D. de
precar.
L. 2. §. 3. ib.
† L. 22. §. 1. D.
de nox. act.

III. Precarium † Liberalitatis genus Ulpianus vocat; quod *qui consequatur is habeat, qui ex ea solummodo causa, quod preces adhibuit, impetraverit.* Quod quanquam alienum ab hoc loco non sit: * nam nec † precarii sibi aut opinione domini possident:

dent: ne sic tamen omnem propositæ Legis mentem exhaurit. Quod si tanta precarii amplitudo ac vis est, quantum preces*, ac familiaritas possunt intelligi; illud hic potius precarium dicam, quod contractibus* preces omnes, nulla saltem domini opinionone, & si conductorem Legis nostræ videas, mercedem quoque recipiat, conductionis quasi species: veluti, *si quis & conduxerit, & rogaverit precario uti possideret*, vel ante rogaverit, post ea, quod solet fieri, *conduxerit*. *Iustum enim est voluntates contrahentium magis, quam verborum conceptionem inspicere.*

L. 10. §. 2. D.
de acqvir. poss.
L. 9. C. qvæ res
pignori.

IV. Docent Jcti, quanquam dispari sensu, naturaliter aliquando nos, aliquando civiliter possidere. Mihi, cui omnis in autoritate legum spes posita, * naturalis possessio detentio rei *affectione tenendi*; civilis, detentio rei animo domini est. Hac mente, qui precarios conductosve agros habitant, naturaliter possident, civiliter non possident usucapiendi jure. Frustra possessores nuncupati, quibus usurpare proprietatis jura non licet. Quo magis verum est, *contrarium aliquid*, in hac lege, *nullum sibi locum vindicare, nec inveniri si quis subtili animo diversitatis rationem excutiat; sed esse aliquid novum inventum vel occultè positum, quod dissonantiæ querelam dissolvat, & aliam naturam inducat discordiæ fines effugientem.*

L. 1. §. 3. l. 3.
§. 1. D. de ac-
qvir. poss.

§. 15. De con-
firm. D. D.

V. Solitam mercedem non more aut consuetudine solà, qui quorundam extitit error, sed * Locati quoque præcepto; * modum pacto definiam. *Neg, enim contrahi locatio intelligitur, nisi de mercede convenerit.* & † contractus legem ex conventionem accipiunt. Quæ placita est, solita merces est; sive pecuniis constet loci consuetudine, sive eo, quod terra præstat. Ut suis ipsi rebus mortales consulant, fortunasque opimas suo sibi fingant arbitrio; aliquando & præter solitum remissionem daturi.

L. 2. Princ. D.
Locat.

† L. 1. §. 6. D. de
positi.

L. 5. C. de A-
gric. & cens.

L. 15. §. 4. D.
Locati.

PARATITLA AD CAPUT II.

Prædium. Jason ad l. 33. n. 3. C. de Transact. *Prædium*, inquit, est terminus magis generalis, propterea quod comprehendit urbana prædia & sic ædificia; Et rustica l. urbana prædia D. de Verb. Oblig. l. 1. D. comm. præd. Et tamen fundus non comprehendit prædia urbana. Nam istam domum vel ædificium recte appello prædium urbanum, sed appellare fundum esset deridiculum. Hinc jus prædi-

§. II.

B. atorium,

atorium, & prædiatores, quos contra Budæ. Annot in Pand. novè Salmasius de Mod. Usur. c. xvi. *prædiorum emtores* vocat. De jure colonario est Nov. VII. §. I.

Plurimis iretur obviam Legibus. Talis est l. 17. C. de Agric. l. 2. C. in quibus causis coloni. Et passim de re Agraria colonorum.

Qui in aliqua re erant. Salvian. Lib. V. de Provident. DEI. Fundos majorum expetunt, & coloni divitum sunt.

In quinquennia. Non minus in plures annos quam quinquennium (quod falso putat Brissonius Lib. vi. Form. p. 515.) locationes fieri moris fuit Romanis l. 32. D. Locati. l. 24. §. 5. ib. l. 14. ib. Atq; illud quinquennium non de more, sed ex pacto pendere ostendit Ulpianus l. 13. §. II. ib. Unde & perpetuarii conductores, l. 3. C. de Locat. prædior.

Sedes villasq;. Salvian. l. c. *Additur huic malo sæ ius malum.* Nam suscipiuntur ut advenæ, fiunt præjudicio habitationis indigenæ. Paul. Diacon. in Valentinian. de Burgariis habitaculis, *Crebra per limitem habitacula constituta*, burgos vocant. Plura & Locandi quoq; præcepta vide apud Columellam Lib. I. de Re Rustic. c. VII. Pallad. Lib. I. de Re Rust. c. VI.

Fundum interpreter. Lex. I. C. hic, cum qua hæc nostra cohæret, de fundo tributario loquitur; & prædium κατ' ἐξοχήν in Legibus Codicis fundum notat. Quin quod nunc prædium, idem mox fundus dicitur l. 5. C. de Locat. Cond. l. 27. ib. l. 13. §. C. de Agric. l. 15. D. Locat. Unde ego occasionem latæ hujus legis nostræ colligo. Hinc prædium integrum quoq; aliquando vicum significat, quem *coloniam* vocant l. 13. §. I. C. de Agricol.

§. III.

Nam nec precarii sibi possident. Nisi id specialiter convenierit. l. 2. §. 3. D. de precar. arg. l. 13. §. 7. D. de acquir. poss. l. 6. §. 2. D. de precar. Atq; illud tunc precarium huc non pertinet.

Preces ac familiaritas. Glossa, *Large hic ponit precario possidentem, ut emphyteutam colonum commodatarium & depositarium comprehendat.* Nam omnes isti precibus porrectis possident. Hinc cum Carpzovio quoq; part. II. Const. I V. Def. XIV. n. VI. dicimus, *qui feudum alterius jure familiaritatis usus est, quod etiam per mille annos servitutem non acquirat.* per l. I. §. Arist. 3. de aqv. quotid. &c.

§. IV.

Naturalis Possessio. Pleriq; omnes definitionem Theophili descriptoris Basilicæ allegant, quæ ipsa tamen nusquam illic integra

integra comparet. Ipsa Basilica, ex quibus hæc nostra sunt, vocato in partem civili jure nostro Lib. L. tit. II. c. LX. sic habent: νομή ἐστὶ φυσικῶς, ἢ τὸ πάγμα κατοχή. *Possessio naturalis est rei detentio*, κατοχή quæ habendi animum involvit. κατὰ δὲ τὰς νόμους νομή ἐστὶ ψυχῆ δεσπόζον κατοχή. *Secundum jus possessio est detentio animo dominantis*: de qua Excel. Svevus Velit. Just. VII. th. VIII. lit. d. Falsissimè autè interpres: *Secundū jus Possessio est ejus qui animo possidet detentio*; neq; enim δεσπόζειν possidere aut detinere, sed dominari & obtinere dominium est. Naturaliter igitur possident coloni, inquilini depositarii, fructuarii, hypothecarii, & generaliter omnes, qui nostro nomine in possessione sunt, item Vasallus & Emphyteuta Borcholt. c. II. n. XIII. de acquir. Poss. Menoch. de Recup. poss. Remed. I. n. XC. Nam quod *Vasalli heredes directum dominium*, ut ait Carpzov. Respons. LXXXIV. contra *Seniorem præscribunt*; fit illud, nisi fallor ideò, quia bona fide non petendo investituram, nec præstando servitia patiente & concedente libertatem Domino, possessionem nanciscuntur; nec *causam ipsi sibi possessionis mutant*, qui concedente domino possident, arg. l. 22. D. de precar. Ipse autè Vasallus investitus nunquam præscribit. II. Feud. Tit. XXVI. Ut nulla necessitas sit provocare ad distinctionem ignoratam. Juri, *dominii proprietatis & Possessionis cum Zangero*, (quod pace ejus viri dixerim) de Except. part. III. cap. X. n. LXXII. cum *dominium nihil commune habeat cum possessione*, l. 12. D. de acquir. Poss. Bachovius quidem ad Treutler. disp. XXI. th. IV. lit. G. multis Emphyteutam civiliter possidere contendit; *quia & interdicta possessoria & actionem in rem habeat*. Sed ipse sui immemor jam ante naturali quoq; possessioni remedia possessoria tribuerat ibid. th. I. lit. F. Nec omnis rei vindicatio Dominium, neq; adeò civilem semper possessionē præsupponit. Ungepauer. Exercit. Justin. V.

Locati quoq; præcepto. Ex l. 16. C. de cohortal. l. 2. C. de Locat. Ita solitum pro eo quod convenit dicitur in l. 20. §. 1. C. de Agric. l. 3. C. de cohortal. l. 2. C. de annon civil. junctà l. 6. C. de omni agro deserto.

Modum pacto. Aliquando enim summam mercedis alterius arbitrio definiendā permittunt l. 24. §. 1. & l. 25. prin. D. locati.

CAPUT III. De Rebusdubiis.

I. *Distinctio fundorum patrimonialium & privatorum.*

II. *Objectio, quod omnes actiones XXX. aut XL. annis pereant.*

III. *Solutio, & quod possidenti non cur-*

rat praescriptio.

IV. *Exceptio Regulae.*

V. *Locati actioni & neglecta non item futura pensioni praescriptum, parat.*

Ita est, non ufucapit Dracontii agros, quos XL. annos conductos habuit Mucatraulius. Quamquam enim qui fundos patrimoniales per XL. jugiter annorum spacium, ex quocumque titulo vel etiam sine titulo possident, nullam penitus super dominio a publico actionem vel molestiam aut quamlibet inquietudinem formident, certi suum esse quod possident, quos principum liberalitas fundorum dominos fecit; nunquam tamen eadem munificentiae prerogativa privati quoque agri conductoribus stetit. Nam contra reputando, nihil privato jure, salvo canone, fundis emtis cum patrimonialibus commune est.

II. Sed ais: Et ipsae se conficiunt lites XXX. annis ac ponunt robur: Et rerum demum ac jurium alienorum omnium tricenniali aut quadragenaria praescriptione, saluberrimae legis plenissimam munitione potimur; non sexus fragilitate, non absentia non militia non ignorantia contra defendenda. Quo fit ut necquicquam niti pro fortunis suis miseri rerum domini; & quod ipsi per tot annos abstinerint jus, ejus usurpandi deinceps veniam omnem consumsisse videamur. Cum contra desides homines & sui juris contemtores odiosae exceptiones sint oppositae.

III. Atque est, fateor, aliquod * argumento pondus fronte primae: caeterum si animum advertas, mole sua corruit. Omnes omnino quae antea non motae sunt actiones XXX. annorum jugi silentio, ex quo competere ceperunt, vivendi ulterius nullam facultatem habent. Earumque rerum quas Possedimus, plenissima nobis circumdata est securitas. Jam, nec possedit conductor Mucatraulius jure. Et possessori Dracontio competere fundi sui actio nunquam ceperat. Nam * quae possidenti odiosa praescriptio currat, quem nullius negligentiae postules, & qui rei suae incumbat? Itaque nec locati agri dominio Dracontius, nec recuperandi spe, nec actione legitima excidit.

IV. Ne

IV. Ne nunc dicam nulla concludi regula, nec impediri legibus, quæ ipsa Imperatoria sanctio exemit, non multo post explicanda ordine. Nam simul cum in aliquo vitiata est regula perdit officium suum. Tum maximè cum derogatum anterioribus constitutionibus nihil velit Imperator; cui inter æquitatem jusq; interpositam interpretationem soli & oportet & licet inspicere. Ut quamvis generalis aliqua lex vocata vel ad omnes iussa sit pertinere, non in commune tamen præjudicet, nec quæ specialiter quibusdam concessa sunt civitatibus vel provinciis vel corporibus, ad generalitatis observantiam pertineant.

L. 1 D. de R. J.
L. 5. C. de
pres. 30. an.

L. 1. C. de Le-
gibus.

L. 3. C. ibid.

V. Illud nihil ambigam, mercedem solitam tot neglectam, annos cepisse usu Mucatraulium, Locative Drocantii actioni præscripsisse. * Nam & illam conductor possedit † liberatus tempore: Et hanc, ex quo cum Mucatraulio convenerat, natam sibi Dracontius insuper habuit, felicitatis suæ proditor, vel donator munificus, qui quod nullum jus cogebat, concessit. Donari autem non potest, nisi quod ejus fiat cui datur. Quo si non erat animo, † quam facili negotio interpellare jure illud conductoris tot annorum silentium poterat? * Futurarum tamen pensionum Conductoris præscriptio nulla est; quando recuperato quidem agro, de quo paulo post, quasi de integro fit locatio; nulla dāda licentia conductori aut emphyteuta dicendi ex transacto tempore dominium sibi in iisdem rebus quæsitum esse.

† L. 45. D. de
admin. Tut.

L. 82. D. de
Reg. Jur.

L. 9. §. 3. D. de
donat.

† L. 2. C. de An.
Except.

L. 7. §. 6. C. de
presc. 30.

PARATITLA AD CAPUT III.

Argumento pondus. Anton. Perezus in prælect. h. t. n. XIII. Non obstat inquit l. 3. & 4. h. t. Sed communis Dd. Sententia retinenda est. Rationem tamen nullam allegat. Quod, si conciliasse est, nemo nunc sine lege loqui erubescet, contra Novel. XVIII. c. V.

§. III.

Quæ possidenti præscriptio currat. Paul. de Castro. Auth. Nisi tricennale C. de bonis matern. n. I. & II. Non valenti agere de jure nulla præscriptio currit l. 1. in fin. infr. de An. Except. & supra de jur. dot. in l. in rebus in fin. licet non valenti agere de facto currit, sed restituatur, ut in l. Et Attilicinus D. de Servitut. Urban. præd.

Nam & illam possedit. Equidem putat Franzkius Exerc. V. q. VII. rat. III. n. XII. In præscriptione longissimi temporis nullam

requiri possessionem. Idem jam ante ipsum sensit Schurf. conf. XC. n. XXXVII. cent. III. Idem sentit Bachovius ad Treutler. volum. 2. disp. 22. th. I. lit. G. Sed si de rei præscriptione agatur, ut mihi quidem videtur, ea sententia contraria est l. 25. D. de Usucap. & usurp. Nec sane ullibi quod meminerim, in jure nostro aliqua rei præscriptio sine possessione legitur. Quin potius expressè in longissimi quoque temporis præscriptione possessio additur l. 3. 4. 8. C. de præsc. 30. 40. Nam quod obvertit excellentissimus Vir, *amissa re adversus neminem juri remedio præscribentem talem*, gratis dicitur. Etenim qui bona fide præscribit, directam ex l. 8. princ. ibid. qui mala fide, eum utilè habere rei vindicationem colligo ex §. 2. & 3. ib. ubi *quasi dominus* malæ fidei possessor, & ab invasore violento & ab eo qui per absentiam à judice adjudicatam rem caput, vindicare dicitur. Atque hinc ipse Bachovius, *non male forsitan*, inquit *alicubi, malæ fidei possessori utilem actionem tribuisse Veteres quidam Dd. possent videri.* Rectius itaque Bartolus ad l. h. *Tu dic ad præscribendam rem vel aliquod jus requiritur possessio vel quasi, quia sine possessione præscriptio non procedit l. sine possessione de Reg. Jur. Lib. VI. Sed ad præscribendam liberationem ab aliquo jure vel ab aliqua actione, non requiritur aliqua possessio vel quasi, sed sufficit solummodo negligentia non petentis l. sequitur §. si viam D. d. Usucap.*

Futurarum pensionum præscriptio nulla est. Scholiastes Basilicōn Tit. XIV. & XV. c. VI. *Lege Codicis Lib. VII. tit. XXXIX. caput V. In quo dicitur, eum qui ex actionem publicam non dederit, ad præstandas præteriti temporis functiones non cogi, sed quemadmodum Lib. XI. Tit. XLVIII. Constitut. IX. dicitur, futuri temporis functiones exigi, nisi ea fuerint ipsi à principe condonata.* Mynsinger. cent. III. obs. XIII. *In camera aliquot vicibus comprobata est post multam eorum disputationem, qui in hujusmodi pensionibus uniuscujusque anni propriam esse præscriptionem, & quot sunt anni, tot esse præscriptiones censuerunt, quodque hujusmodi præscriptiones ad futuros annos se non extendant.* Addit exemplum Gail. Lib. II. obs. LXXIII. n. II. *Quapropter creditori recipienti solutionem in minore valore quam fuit tempore contractus, non potest objici exceptio longissimi temporis, quod videlicet tanto tempore tali valore solutio ei facta*

facta sit; sed debitor exceptione prescriptionis non obstante, in posterum ad eum valorem, qui fuit tempore obligationis solvere cogitur. Jure Saxonico nostro certe annuæ præstationes etiam futuræ præscribuntur p. II. Const. II. Elect. Aug. Recte tamen hoc jus colono denegat Carpzov. ibid. def. III. n. IV.

CAPUT. IV. De amplitudine Legis.

- | | |
|---|--|
| <p>I. Legis interpretatio quovis extensiva est.</p> <p>II. Qui hac lege non præscribant & quæ ad Repetendum detur actio.</p> <p>III. Excepta jure, & quibus curialis parat.</p> | <p>IV. Actiones conditionata non præscribuntur.</p> <p>V. Actiones non nata non præscribuntur at bene bonorum possessio parat.</p> |
|---|--|

Satis pro Dracontio, satis nisi me fallit animus, de Mucatraulio: nunc, quam latè proposita lex pateat, paucis exsequar; morem gesturus non minus antiquis Legum conditoribus, qui cum in aliqua causa sententia manifesta esset, ei qui jurisdictioni præerat ad similia procedendi præcepta dabant; quam sacratissimo imperatori, à cujus sententia legem non solum illi causæ pro qua producta est, sed & omnibus similibus, jus fasque est appetere.

L. 12. D. de Legib.

L. 12. C. de Legib.

II. Neque enim conductor solum, sed nec Emphyteuta, nec qui commodato utitur, aut * depositum servat, aut precarium detinet, † unquam tricennali præscriptione sese adeò muniant, quin sopita quidem precarii Depositi commodati Locative actione, quam quia caput competere, sola negligentia citra possessionem extinxit, ipsi rerum Domini interdicto * Uti possidetis, aut rei vindicatione, depositum omne repetant. Nisi verò * intervertere dominicas possessiones, accedente extrinseca causa, precarii possessores audeant. Tum enim ex silentio præscriptioni initium & robur est. Quod nisi in herba reprimas, emicat, prosternit, dejicit.

† Arg. l. 7. §. 6. & l. 2. hic.

Arg. l. 5. C. de acq. vir. poss.

III. Jam Constantinus Imperator * Libertatis jura præscriptione mutilari non sinit: nec patitur divus Anastasius præscriptionem 40. annorum ab his qui ad * curialem conditionem vocantur, opponi, nec ad præjudicium publicarum functionum trahi; sed illos genitalem semper statui patriisque reddit: hos solvendo semper canonibus præstandisque laudemis obstringit. Impp. Gratianus & Valentinianus

L. 2. C. de long. Temp. præsc.

L. 5. hic.

L. 6. hic.

L. 5. C. de fund. nianus *meatus pristinos plurimorum usurpatione sublatos, ad floren-*
 Rei privat. *tis sui patrimonii fundos, sublata prescriptione* revocant. Impp.
 L. 3. C. de fund. Valentinianus & Theodosius *agros limitaneos ab aliis diutius pos-*
 limitroph. *sessos militibus limitaneis, cujuslibet spacii temporis præscriptio-*
 ne cessante, restituunt. Justinianus & qui per *alios sua servitia*
 L. 22. § 23. C. *commodant, à libertate removet 40 quamlibet annos libertate*
 de Agric. *abusos. Nec colonos alio migrare sinit, nisi Curia vel collegio vel*
 L. 6. C. de fund. *burgis servierint. Idem & ab hostibus * capta, antiqvis rerum*
 Rei privat. *dominis servat.*

IV. Cæterum, si nulli actioni, nisi quæ competere cæperit,
 injicit manum præscriptio; nunquam aut juri compascendi, aut
 actioni * pro socio, dum durat foedus, aut præscriptis verbis,
 aut pacto de * Retrovendendo quocunq; tempore, præscribi
 contendam. Nam qui mutuam sibi pascendi pecora faciunt co-
 L. 1. §. 2. 3. D. *piam, sic invicem pascuum agrum dant, ut ne unquam faciant*
 de precar. *accipientis, sed ut saltem uti permittant velut commodata re, tunc*
 L. 3. § 60. D. *recepturi cum sibi libuerit solvere. Et Socii actiones invicem præ-*
 pro socio. *stant, fraternitatis quodammodo jure conjuncti & rerum utriq;*
 communium possessores. Et qui præscriptis verbis aut de retro-
 vendendo perpetuo pacti sunt, ipsa illa dandi faciendive *conditi-*
 one vel subincerta die facta stipulatione præscriptionem omnem
 L. 7. §. 5. C. *excludunt, quia conditionis ejus exitus nunquam est.*
 hic.

V. Sic * juri offerendi creditor non sibi possidens, & * pigno-
 ratitiæ actioni vel ideò saltem non præscribit, quod ipsa tempo-
 ra natales actionum premunt, vitam servant. *Nisi enim pecunia*
 L. 9. §. 3. D. de *omnis exsoluta sit, pignoratitia non nascitur, nec interit non-orta.*
 Pignorat. act. *At * bonorum possessione Ignorantis, quã vincere præscriptione*
 omnem ac superare nonnulli falsò arbitrati sunt, non ego ali-
 ter in perpetuum cum Imperatore extendam, quam usq; ad finem
 Inst. de per- *ex Constitutionibus sacris 30. aut 40. annorum introductum. Cæ-*
 pet. § Temp. *teras res sacras atq; Regalia, & quarum omnis à præscriptione,*
 Action. pr. *hac nostra natura abhorret, attingere huc nihil attinet. Nec*
 pandere magis quam contrahere vela mihi curæ fuit.

PARATITLA AD CAPUT. IV.

Depositum. Temporibus Justiniani etiam depositum l. 3. &
 4. hic

4. hic, præscribi statuebant. Suidas in Pitco Emeleno & Procopius in Historia arcana. Libellos multos ut ab illis scriptos composuit, qui confiterentur se magnam pecuniam Mamiano reddituros, quippe quod depositi nomine hanc ab illo accepissent. Quia vero lex obstabat quæ reliquas omnes actiones ad tricennariam præscriptionem redigit, & quas hypothecarias dicunt nonnullasq; alias quadragenaria excludit exceptione; pergunt Byzantium, vim auri Casari deferunt, rogantq; ut sibi præsto esse velit: Ille accepta pecunia scribit legem, ut causæ appellatoriæ & actiones quæ Ecclesiis competere non statim temporis, sed C. annorum præscriptione excluderentur. Idq; non Emese duntaxat, sed in universo Romano imperio perinde valeret.

Uti possidetis. Ita Glossa hic. Nempe si ipse detentor rem habeat, ac primum recuset reddere, tum hoc interdicto experiri dominum velim. Quia civilem hæctenus possessionem semper custodivit animo. Quod si vero detentori illi, ex quo negaverat primum, aliquod iverit tempus, atq; adeò ipse sibi possidere cæperit, aut ad tertium aliquem ea res intereâ pervenerit, rei vindicatione eam persequi utile fuerit.

Nisi intervertere. Accurs. l. 2. § 7. §. fin. hic. & l. 1. C. commun. de Usus. Scilicet non admittendo dominum revertentem, vel tradendo alii, vel etiam si fuerit expulsus. D. de acquir. poss. l. clam §. qui ad nundinas.

Libertatis jura. Eustathius de Temporalibus præscriptionibus. Καὶν ἔτη ὁ ἐλευθεροῦσθαι ὡς δὲ λῶν κρατηθῆναι, ἔπερκεματίζετα. Etiam si LXa. annos liber aliquis tanquam servus subditus fuerit, non præjudicatur illi.

§. III.

Curialem conditionem. Erronè Glossa l. 5. hic, curiales servos fuisse patriarum suarum nos docet. Certe ingenui erant & splendorem natalium eorum commendat Novella. Majoriani. I. Et contrarium videri Legibus veterum, inquit Cassiodorus Lib. II. Variar. XVIII. Curialem reip. amissa turpiter libertate servire, quem Antiquitas vocavit minorem Senatam.

Ab hostibus capta. Hanc Justiniani Constitutionem communicatam sibi à P. Galesio Hispano integram producit Cujacius Lib. X. Observ. c. XII. Et aliorum Imperatorum in eam

C

rem

rem edita idem nabet Paratitl. C. hic.

§. IV.

Pro socio. Balbus de præscript. p. I V. q. XIII. n. III. *Donec socii stant in communione & donec possident simul, unus recognoscit alterum in socium; ergo impossibile est quod currat præscriptio. l. cum notissimi §. sed & si quis & l. malè agitur C. de præsc. 30. ann.*

Pactio de Retrovendendo. Sutholt. dissertat. VI. n. XII. *Hic demum, inquit, est vera regula Dd. res meræ facultatis usucapi non posse. Quâ indubiè abutuntur, qui inde concludunt, pacto de retrovendendo & juri reluendi præscribi. Nos & hoc & illud rem esse meræ facultatis negamus, adeoq; utriq; præscribi posse dicimus Mynsing. Cent. I. Observ. XVI.* Præclare quidem clarissimus vir de abusu rerum meræ facultatis admonet; illud saltem malè, quod ideo præscribi pacto retrovendendi affirmat. Quasi vero continuo præscriptioni succumbat, quod meræ facultatis esse negamus. Cæterum & Mynsingeri autoritate fallit improvidos. Nam hic ipso eo in loco non præscribi pacto huic, Camera exemplo probat. Hahnus ad Dig. Lib. XVIII. Tit. V. *Dubium non est, quin ex partium conventionione extendi queat obligatio & actio in infinitum, exemplo legis, Quod si §. siquid. de adilit. edict.* Verè quidem, sed isthac nihil probante lege; quandoquidem perpetuas actiones 30. annis extinctum iovit Imperator l. 3. C. de præscr. 30. an. Vera, puto, causa est, quam l. 7. §. 4. hic, legimus; *quod in omnibus contractibus, in quibus sub aliqua conditione, vel sub die certa vel incerta stipulationes & promissiones vel pacta ponuntur, post conditionis exitum, vel post instituta diei certæ vel incertæ lapsum, præscriptiones 30. vel 40. annorum, quæ personalibus vel hypothecariis actionibus opponuntur, initium accipiant.* Qui exitus quoniam sperari ab incerta quandocunq; retrovendendi die non potest; nec unquam pacti hujus præscriptio initium capiet. Æquè se res habet, si quis ita bona absentis alterius possideat, qui promittat se redditurum quandocunq; redierit, nunquam præscribet; conditione ipsâ nunquam non interpellante Carpzov. p. II. Const. IX. def. III.

§. V.

Juri offerendi. De ea re in utramq; partem disputatum in Consultationibus Saxonis Lib. I. q. I. Cons. I. II. III. atq; ei non

non præscribi usus tenet optimus Legum interpres. At primus creditor detentor pignoris præscribit secundo; quia simul atq; postremus hic cum debitore contraxit, petendi pignoris ei adversus primum illum nata actio est, neutro possidente sibi. Quam quia XXX. annis aut XL. neglexit, utiq; amisit l. 7. §. 3. C. de præsc. 30. l. 40. ann.

Actiōni Pignoratitia. Bachov. ad Treutl. vol. II. disp. I. th. ult. Lit. H. Simul cum obligatione actionem nasci ait. Verè quidem, si causam atq; originem respicias. At non eadem mens Jctis erat, qui tum demum natam hanc actionem dixerunt, cum intentari jam possit, cum effectu legem interpretantes.

Bonorum possessionem. Veterum hanc Doctorum sententiam Schneidewin. & Wesenbec. in not. Margin. Institut de Bonor. possess. tradidère; De quâ ita Forster. Lib. II, de Success. c. XXX. n. II. *Curtius & Cornelius adversantur Jasoni, existimantes bonorum possessionem longissimo tempore h. e. XXX. annis etiam ignorant perire; quæ opinio verior est.* Eo tamen jure utimur, ut filius, qui à petenda intestati parentis bonorum possessione ex capite unde Liberi exclusus est, possit petere ex capite Unde Agnati vel unde legitimi; postremo ex capite Unde Cognati. Quod ab interpretibus, teste Carpzovio p. III. Const. XIV. def. XXX. ad civilis quoq; præscriptionis jura protractum est: *ut filius qui intra primos 30. annos hereditatem parentis agnoscere noluit tanquam filius, possit intra sequentes alios 30. annos adire ut Agnatus, tum iis quoq; elapsis intra totidem alios, tanquam cognatus.*

EXPLICIT.



05 A 223

ULB Halle 3
003 760 928


1602

21





Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



489

ÆSCRI-

O,

Script. XXX.

mor.

E

COSELIO,

D. & P. P. Curia

non Scabinatus

Præceptore.

ALEXANDRI,

Jan.

RGÆ,

NUM FINCELIIUM,

LIII.

28.

